



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput IV. De vitiis Religioni oppositis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

*ambibolus est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honores, res familiares tuendas, vel ad alium quemquam virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.*

## CAPUT IV.

*De vitiis Religioni oppositis.*§. I. *Quid irreligiositas, & quotuplex?*

**I**Rreligiositas, quæ est vitium deficiens in cultu Deo debito, communiter definitur: *Contemptum, aut irreverentia Dei, rerumque sacrarum.*

Sub rebus sacris continentur loca sacra, V. G. templa, monasteria, &c. personæ, ut Sacerdotes, Ecclesiæ ministri, Religiosi, & Religiosæ. Item vasa sacra, Sacramenta, &c.

*Irreligiositas varias habet species, nempe tentationem Dei, blasphemiam, sacrilegium, perjurium, voti violationem, & simoniam.*

Tentatio Dei, sumpta, non pro incitatione ad malum, ut Christum tentavit Satanas in deserto, sed pro dicto, vel facto, quo experimentum de Divina aliqua perfectione capere volumus sine justa causa, & extra leges Dei ordinarias, gravissimum secundum se est peccatum.

Secunda species irreligiositatis est, *sacrilegium*, communiter descriptum: *Rei sacre violatio seu indigna tractatio.* Continet irreverentiam in Deum, quatenus violatur res, quæ cultui ipsius dicata est.

Sacrilegium aliud est ratione personæ violatæ, ut percussio Clerici, lapsus carnis personæ Deo per votum castitatis consecratæ.

Aliud ratione violati loci, ut spoliatio Templi. Aliud ratione rei violatæ, ut violatio Sacramentorum, Reliquiarum, Festorum, per opera servilia, Scripturæ Sacræ, detorquendo eam in sensus falsos, abutendo eâ in negotiis scurrilibus &c. cui Sacrilegio facilè cooperantur illi, qui lectionem Bibliorum sinè discretionè plebæ suadent, aut permittunt.

Tertia species blasphemia, quæ est *injuriosa in Deum locutio, mediatè, vel immediatè facta.*

Dicitur *mediatè*, quia & blasphemia est injuriosè loqui contra Sanctos, aliasve creaturas V. G. eorum reliquias &c. quatenus Deus in eis relucet specialiter, in sua sc. potentia.

Quarta species est perjurium. 5. Voti violatio, quarum malitia abundè colligi potest ex his, quæ dicta sunt de voto, & juramento.

6. Simonia, de qua

### §. 2. Quid, & quotuplex Simonia?

Simonia à Simone mago nomen accepit, qui primus in nova lege hanc legitur commisisse, dum potestatem conferendi Spiritum S. comparare volebat, ut refertur Act. 8.

Communiter definitur: *Studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, aut spirituali annexum.*

*Voluntas studiosa idem est, quod deliberata.*

Nomine *emptionis*, aut *venditionis* intelligitur omnis contractus non gratuitus, siue hoc fiat per enuntiationem, siue per elocationem, siue per rigorosam emptionem, seu venditionem.

Rerum spiritualium tria sunt genera: Aliqua sunt spiritualia *secundum se*, ut Deus, Eucharistia, character Sacramentalis &c. Alia sunt spiritualia *causaliter*, ut Sacramenta, Sacramentalia, conciones: alia denique sunt *supernaturalia* tamquam effectus à potestate spirituali procedentes, ut dispensatio in votis, exorcisatio, consecratio Ecclesiarum, administratio Sacramentorum.

In definitione dicitur: *Vel spirituali annexum*, quia potest committi simonia per venditionem rei temporalis, si hæc ex spirituali sequatur, ut patet in emptione juris ad fructus Ecclesiasticos.

Simonia dividitur in realem, mentalem, & conventionalem.

Realis est, *Dum simoniaca pactio utrimque, id est, tam ex parte dantis, quam accipientis completa est, saltem inchoativè*, V. G. dum facta est conventio de resignando beneficio sub certa pecuniæ summa.

Simonia mentalis est, *Dum res spiritualis datur animo alterum ad aliquid rependendum, vel è contrario aliquid datur animo alterum obligandi, ad rem spiritualem rependendam, quamvis interim nulla fiat pactio.*

Simonia conventionalis est, *Conventio simoniaca exterius facta, & dicitur purè talis, dum*  
nulla

Nulla est facta traditio, aliàs miscetur aliquid de reali, & vocatur, *conventionalis mixta*.

Ad conventionalem mixtam revocari solet simonia confidentiæ, in eo consistens, *Quòd aliquis conferens, vel resignans beneficium obliget alterum, ut sibi, vel alteri V. G. suo nepoti postea resignet, fructusque, vel pensionem præstet.*

1. Quid nomine pretii intelligitur in definitione  
 2. Omne munus pecunia æstimabile, quod solet trifariam dividi, in munus à manu, lingua, & obsequio.

*Munus à manu*, est V. G. pecunia, gemma, catena aurea &c.

*Munus à lingua*, est laus, adulatio, blanditiæ, manicæ fricatio, quam aliqui humanitatis elogio excusant, vituperium inimici in gratiam amici, patrocinium advocati.

*Munus ab obsequio* est V. G. obsequium famuli &c.

Sequitur, quòd sit simonia pacisci de dando, vel acceptando beneficio in remunerationem patrocinii advocandi, vel præstandi obsequiæ in famulatu.

2. An numquam liceat rem temporalem spiritali annexam vendere?

1. Res temporalis spiritali *consequenter* annexa, hoc est, à spiritali dependens, & immediatè ex re spiritali proveniens, non potest vendi pretio temporali, ut est V. G. jus ad fructus ex beneficio percipiendos, quia non potest intelligi, quomodo illud jus vendere-

tur, nisi simul vendatur & illud, ex quo illud jus immediatè profluit. Pari ratione vendere non licet laborem, qui sacrae functioni *intrinsecus* est, ut est necessarius labor ad administranda Sacramenta &c. at si labor actioni sacrae extrinsecus sit, ut V. G. iter unius diei, pluriumvè ad habendam concionem in aliquo loco dissito &c. is labor, uti pretio temporali aestimari potest, ita etiam vendi.

R. 2. Si res temporalis annectatur spirituali *antecedenter*, id est, quòd temporale naturâ sit prius spirituali, & independens ab illa, ut sunt Vasa Sacra, jus patronatûs laici &c. seclusâ prohibitione Ecclesiæ, illa possunt licitè vendi, modò ipsarum pretium non augeatur propter connectionem cum re spirituali: materiam præsentem, & ea omnia, quæ hanc concernunt, per casus oculos vestris objiciemus.

## C A S U S III.

*Cajus à Semphronio habente patronatum laicum, vel Ecclesiasticum præten dit beneficium: additque unam ex his, vel omnes clausulas: Nec volo, nec possum quidquam promittere, si tamen placeret istud beneficium omninò gratis mihi conferre, non ero ingratus: non patiar ab amicis me vinci benevolentia: faciam, quod viri honesti in simili casu facere consueverunt, esto securus, &c. Queritur, an simoniacè conferatur, & præten datur beneficium?*

R. 1. Facilè convinci simoniæ collatorem, si collator, quod assolet, pecuniæ cupidus circa qualitatem personæ inquirat, an dives sit, ut possit,

fit, an liberalis, ut velit largè remunerari, parum sollicitus, si à doctrina, & moribus comendabilis.

¶ 2. Et ipse postulans videtur simoniacus: ut quid enim illæ promissiones, ut quid protestatio honesti viri, commendatio gratitudinis? &c. Vel cæcus viderit, ibi animum esse alliciendi ad collationem beneficii per munera, si non in re, saltem in spe, quod clarissimè convincitur, si postulans, vel alter ipsius nomine ponat vadem, alliget se tempori &c.

## CASUS IV.

*Petrus habet equum elegantem, quem novit futurum gratum Paulo, vel gemmam uxori Pauli non displicentem; equum illum, vel gemmam offert collatoribus beneficii Paulo, vel uxori, postea Paulus beneficium confert Petro: an simoniacè datus equus, & collatum beneficium?*

¶ Si principaliter intenderit Petrus equum dare &c. ob beneficium, & Paulus beneficium ob equum &c. uterque est simoniacus, eoque gravius est peccatum, quò res temporalis est vilior; quia eò injuriosius tractatur res sacra super omne pretium posita.

Quia verò contingit, quòd dans munus planè dives sit, & liberalis, & soleat similia donare, imò & majora sinè affectu retributionis, & similiter, cui datur, sit dives, nec facilè ob aliquod munus pervertatur &c. contingere potest, ut nec dans munus, nec conferens beneficium sint simoniaci. Attendite, quid de simili casu dicat Alexander III. cap. *Etsi*. De simonia, ad Strigoniensem

Archiepiscopum: In hoc itaque quod presbyter Cardinalis Apostolicae Sedis Legatus pro electione tua, ut pallium tibi traderet, ad partes illas accessit, & frater tuus, praesciens necessitatem, ei equum, te ignorante, transmisit. . . . Te nullo modo timere oportet, cum in accipiendis, vel dandis muneribus tria sint attendenda, persona scilicet dantis, vel accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus. Qualitas personarum, ut à quo, & cui, videlicet vel à paupere diviti, vel è converso, sive à divite locupleti datum fuerit. Aestimatio muneris, & donationis tempus, si magni, vel minoris pretii res data existat, & an instanti necessitate, seu alio tempore res conferatur: si ergo praedictorum Cardinalis, & fratris tui personam, & qualitatem pensamus, non fuit magnum ab eodem fratre tuo Cardinali unum equum transmitti, quem & ioculatori non potenti vir tantus, & tam abundans fortè donaret. Verùm si temporis necessitatem perpendimus, non alià intentione constat factum fuisse, quàm ut Cardinali subveniretur per mare venienti. Quod autem scriptum est, beatus qui excutit manus suas ab omni munere, de illis donis dictum est, quae accipientis animum allicere, vel pervertere solent: quoniam si illa persona etiam electi offerat Ordinatori, vel Consecratori suo electuarium vel de vino, sive de aliis huiusmodi, quae modici pretii fuerint, & quae voluntatem recipientis movere non debeant, non tamen Ecclesia Romana interpretari consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem.



## CASUS V.

*Petrus, & Paulus litigant de beneficio, vel simul concurrunt pretendendo idem: Petrus dat Paulo mille V. G. ut desistat à lite, ut cesset à sollicitatione &c. Queritur, an simoniacè?*

*R. Regulariter aff. Quando fit privatâ partium conventionione, quia sæpè contingit, Paulum habere verum jus, quod emit Petrus dando mille: Paulus æquè sæpè est capax, quàm Petrus: Hinc cum sub Alexandro III. cap. de transactionibus quæstio proposita esset, an etiam de Ecclesiastico beneficio in litigium deducto posset fieri translatio, tale responsum damus, aiebat Pontifex: *Quòd transigi super re sacra, & litigiosa non possit; res etenim sacra ut possideantur, aliquo dato, vel retento, vel promisso, speciem credimus habere simoniæ.**

*In resolutione posui: Quando fit privatâ partium conventionione, quia de Episcopi, vel Pontificis consensu licet se liberare à vexa, quod clarè docet S. Carolus Bor. in Conciliis Mediolanensibus tit. de simonia, ubi resolvit: *Nemini licere, ad redimendam vexationem, pecuniam dare, quidquamve pacisci, nisi Episcopi consensus accesserit, cujus partes erunt prospicere diligenter, an subsit aliqua fraus: ubi verò rem fraude carere, & jure permissam cognoverit, non denegare ei, qui petierit facultatem, se à vexatione liberandi.* Ex his*

*Collige, quòd non sint simoniacæ emptiones, ut vulgò dicuntur, Canonicatum trajectensium V. G. quia Catholici Sacerdotes de Pontificis*

con-

consensu non volunt illos emere, sed ab iniqua hæreticorum vexatione Ecclesiam liberare; nam nisi summa pecuniaria daretur à Catholicis, intruderentur hæretici.

## CASUS VI.

*Joannes cum Antonio permutat beneficium, V. G. Canonicatum cum cura parochie &c. datâ aliquâ summâ; item Jacobus resignat Andream Canonicatum servatâ pensione, id est, jure ad certam partem fructuum annuè, vel in ejus redemptionem datâ aliquâ summâ notabili &c. titulus utrimque accedit, majus commune bonum, major Ecclesie utilitas &c. Queritur, an simoniacè?*

R. Si similia fiant absolutè, & privatâ contrahentium autoritate, simoniaca sunt, ut constat ex Cap. *quasitum*, de rerum permutatione. Et Cap. ult. de pactis, ubi manifestè omnes conventiones propriâ autoritate factæ dicuntur simoniacæ.

Dixi: *Si absolutè, & privatâ autoritate &c.* quia si inter se quidem contrahant, dependenter tamen à Superiorum consensu, ita ut contractus ex intentione contrahentium valorem non sit obtenturus, nisi superior consentiat, simonia non est, sed tantùm præparatio ad faciendam permutationem, resignationem &c.

Advertendum tamen 1. quòd titulus permutandi, resignandi &c. debeat esse justus, & sincerus, non fictus, nec resignatio fieri possit cum clausula restringente ad hanc, vel illam personam, privatâ autoritate, nec pensio, vel summa  
alia

alia exigatur, aut statuatur vi beneficii, sed alio titulo V. G. vi compensationis, majoris laboris in administratione unius beneficii, quàm in administratione alterius.

Advertendum 2. quòd hìc sub specie pietatis, utilitatis Ecclesiasticæ &c. sæpè interludat affectus avaritiæ, inhiantis lucro potiùs, & pingui præbendæ, quàm animarum saluti. Patet id: quot sunt enim, qui laboriosius, sed minùs utile assument beneficium, relicto commodiori, & pinguiori, ut Ecclesiæ subveniant?

## CASUS VII.

*Petrus Canonicus resolvit hodie non frequentare chorum: Paulus presbyter non legere sacrum: Petrus audit interim duplicari hodie distributionem: Paulus occasione anniversarii &c. accipit intentionem mediæ imperialis. Petrus ad chorum, Paulus ad sacrum properant. Queritur, an simoniacè?*

R. Aff. Si sint motiva principaliter impellentia, prout ordinariè fit in simili rerum statu, quia censentur pluris facere rem temporalem, quàm spiritualem. Potest tamen fieri, ut simoniaci non sint, V. G. si occasione illius mutant affectum, ut, qui antè in Divino cultu negligentes, jam torporem excutiant, primariò inducti ad frequentandum chorum, Sacrum celebrandum ob Dei cultum, secundariò permoti occasione pinguis stipendii.

## CASUS VIII.

*Titius Confessarius exponit se publicè confessionibus audiendis, considerans lucra obvenientia, poten-*

*riorum piscatur amicitiam, favores Sc. pauperes, & rusticos declinat, & pœnitentiis adactos à se quasi repellit, divitibus blandus est, obsequia offert, per se, vel suos sollicitat; estne simoniacus?*

R. Aff. Si lucrum istud, æstimationem, aut favorem ex administratione Sacramenti principaliter intendat; convincitur autem principaliter intendere, si ex nulla alia rationabili causa pauperes refugiat, quàm titulo paupertatis, sortidum &c. vel quia fortè arcerentur à Confessionali ditiores. Intentio etiam claret ex diverso modo tractandi divitem, & pauperem, nempe pauperibus austerè, divitibus subblandè nimis, & benignè loquendo.

Si pauperes declinet, quia putat gravioribus peccatis, & ignorantibus involutos, quàm divites, potest peccare 1. Iudicio temerario. 2. Exceptione personarum, utpote qui divitibus, multò sæpè plus reis assistit, pauperes negligendo: unde patet parva caritas, magna cupiditas.

Si subterfugiat, quia ignoti sunt, mentitur iniquitas sibi, non enim sic ignotum divitem tractaret.

Conformiter resolve, quid judicandum de Parochis, Confessariis &c. diligentissimè divites, negligentissimè pauperes infirmos visitantibus, ex quorum agendi modo facilè colligitur, non animas, sed pecunias curari.

#### C A S U S IX.

*Capitulum est celebrandum: Unus dicit Paulo: Elige me Abbatem Sc. eligam te Proviforem Sc.*

vel

vel emittuntur emissarii presente Paulo, dicentes:  
*Si Petrus sit Abbas, Paulus erit Provisor, &c. Quaeritur, an simoniacè?*

ix. Aff. Si fiant, ut ordinariè fiunt: quare enim similes propositiones, nisi ut inducant, & inducantur? Ut inducant Paulum ad eligendum Petrum, & per modum compensationis suffragii dati eligatur Paulus &c. Unde licèt non sit hïc emptio, vel venditio rei Spiritualis pro temporali, est tamen emptio, & venditio rei Spiritualis pro Spirituali, quod est vetitum: *Gratis enim accepistis, gratis date.*

Adde, quòd per similia sæpè misceantur fraudes, violetur caritas, & Provinciæ integræ, Ordines, & Capitula turbentur.

Ex resolutione Casuum sequuntur hæ sex, & certæ quidem

**Regulæ, ex quibus dignosci possit, an simonia committatur in collatione Beneficiorum.**

1. **I**ndubitatum est, eum committere simoniam, qui pretium dat, vel accipit pro beneficiorum collatione, resignatione, electione, confirmatione, &c.

2. Qui fundum, cui annexum est jus patronatus Laici, pretio altiori vendit, vel emit, præcisè quia jus illud annexum habet.

3. Qui amico collatoris, electoris, aut præsentatoris pretium, vel aliud munus dat, vel pro-

promittit, ut ab eo commendetur, & operâ illius beneficium acquirat.

4. Qui, pretio accepto, cedit juri dubio, quod habet ad beneficium, ut si duo litigent.

5. Si Joannes V. G. resignet Beneficium Paulo fratri Catharinæ, ut ipsam recipiat uxorem.

6. Pecunia &c. data pro collatione Beneficii à parentibus, vel aliis in favorem beneficiati, ipso, conscio facit, ut simoniaci sint & donatores, & Beneficiatus.

## CAPUT ULTIMUM.

### *De reliquis irreligiositatis speciebus.*

#### §. I. *De superstitione, & idololatria.*

**S**uperstitio, quæ aliter falsa religio dicitur, est, *Vitium Religioni oppositum, præscribens cultum divinum ei, cui non competit; vel ipsi Deo aliter, quàm competit.*

Dum *Cultus Deo debitus transfertur ad alium*, dicitur superstitione falsi numinis, seu idololatria.

Dum *indebitus, & illegitimus Deo vero offertur*, vocatur superstitione cultus incongrui: ut si quis verum Deum jam sacrificiis, & cæremoniis Judaicis colat.

Idololatria est, *Superstitio falsi numinis, quæ divina reverentia exhibetur creature.*

Divinatio est, *Indebita rerum occultarum, quæ humanitùs sciri non possunt, inquisitio, vel enuntiatio, recurrendo sc. ad auxilium demonis.*

Alia fit per expressam dæmonis invocationem, seu solemnem, alia per privatam.